



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

JOANNIS MELCHIORIS KEMPER,

O R A T I O

D E.

MORALIUM DISCIPLINARUM DIG-
NITATE AD CAETERAS DISCI-
PLINAS COMPARATA.



JOANNIS MELCHIORIS KEMPER,

O R A T I O

D E

MORALIUM DISCIPLINARUM
DIGNITATE AD CAE-
TERAS DISCIPLINAS
COMPARATA.

HABITA D. VI. MAJI ANNI MDCCCIx.

C U M

IN UNIVERSITATE REGIA HOLLANDIAE

JURIS NATURAЕ GENTIUM ET PUBLICI NEC NON HISTORIAЕ
CIVILIS EUROPAЕ INDE A MAXIMILIANO I
PROFESSIONEM AUSPICARETUR.



LUGDUNI BATAVORUM,
APUD HAAK ET SOCIOS,
MDCCCIx.

THE
CITY OF NEW YORK
THE
MUNICIPAL
LIBRARIES



THE MUNICIPAL LIBRARIES

THE MUNICIPAL LIBRARIES
THE MUNICIPAL LIBRARIES

THE MUNICIPAL LIBRARIES
THE MUNICIPAL LIBRARIES
THE MUNICIPAL LIBRARIES

RECTOR MAGNIFICE!

UNIVERSITATIS REGIAE CURATORES ILLUSTRISSIMI.

CIVITATIS LEIDENSIS CONSUL EIQUE ADJUNCTI QUATUORVIRI, VIRI HONORATISSIMI.

EJUSDEM CIVITATIS PRAETOR ET JUDICES, VIRI GRAVISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES CLARISIMI!

QUI COLLEGIIS ILLIS ATQUE TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI!

ORACULORUM SACRORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

QUA-

—
QUARUMVIS ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTO-
RES, VIRI ERUDITISSIMI.

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE LOCI ORDINIS AT-
QUE DIGNITATIS, AUDITORES OPTATISSIMI, HU-
MANISSIMI!

VOS DENIQUE JUVENES LECTISSIMI, HUJUS ACADE-
MIAE CIVES, PATRIAE SPES, PARENTUM AMOR,
NOSTRA CURA ET VOLUPTAS!

—

JOANNIS MELCHIORIS KEMPER,

O R A T I O

DE MORALIUM DISCIPLINARUM DIG-
NITATE AD CAETERAS DISCI-
PLINAS COMPARATA.



Multa sunt, A. A. H. H.! quibus hic nescio qua veneratione mo-
vetur animus & quasi percollitur. Ecquis enim locum hunc in-
tret, neque Palladis hanc atque Musarum sedem Belgicae fortitudi-
nis praemium, Belgicae libertatis monumentum esse cogitet? Ec-
quis cathedram hanc aspiciat; nec illustrium in memoriam revocet
nomina virorum, qui majorum sanguine comparatum sacrarium ita
eruditione sua & doctrina & elegantia decoratum posteris relique-
runt, ut, quid magis Lugdunense nomen celebret, fortitudinis an
doctrinae fama, si quaeratur, incertum penitus haereat judicium.

A

Hic

Haec autem Belgicae magnitudinis recordatio uti apud omnes venerationem, apud Belgam vero voluptatem sumnam atque adeo superbiam aliquam excitat, ita oratori, ex hoc loco verba facienti, difficultatem movet maximam. Utut enim sentiat is, quam praeclarum sit ac honorificum illorum ordini virorum adscribi, qui ab excellentibus majoribus derelictam provinciam nunc pro Belgici nominis dignitate sustinent atque tacentur; at simul tamen non potest non intelligere, a se merito postulari, ut ne ex hoc loco quid proferrat, nisi quod majorum hac fama, praesentium successorum eruditione & vero exquisitissima auditorum corona dignum sit.

Dignum vero ejusmodi quid, siquidem dicendi forma & gravitas attendantur, ne quaeso a me vobis promitti putetis, A. A. — Quo magis mihi majorum in dicendo merita innotuerint, eo magis etiam, quam difficile sit eorum magnitudinem attingere, perspexi; dicendi materiam non indignam invenire conatus sum. quam tamen non ex intimis disciplinae recessibus disquirendam, sed oblatam forte in vita quotidiana arripiendam esse censui, cum majoris esse momenti soleant, quae tempestive dicantur.

Frequentes eorum sermones novistis, A. A., qui hac nostra aetate, de disciplinis earumque auctoritate disputantes, doctrinae dignitatem non praecipue, sed exclusis fere caeteris, tantum illis tribuere disciplinis solent, quae vel in exponendis atque explicandis naturae phaenomenis, vel in comparandis magnitudinibus, vel in computandis tandem quantitatibus versantur. Has enim utiles, has certas

tas demum & accuratas praedicant, in his veritatem, quasi ad librae lances exactam, nunquam fallente luce splendere clamitant; cum in caeteris omnibus periculi multum, suavitatis aliquid, utilitatis parum, certi fere nihil inveniri doceant.

Gravissimam hic rem agi nemo non videt. Si enim ista valeant, aeterno disputationes vestras silentio premitte, qui de mentis humanae natura, de vero, bono & pulchro differitis. In exilium mittite, praeter Physicas atque Mathematicas disciplinas, omnes, quae a Philosophia nomen habent, doctrinas. Ludicra tantum agitis certamina, quae sapientes illi homines rideant; verba sunt & voces, non res, in quibus operam ponitis, & civitatis adeo quietem & salutem non raro turbant vestra & evertunt praecepta: verum & sic vos pudeat etiam, Viri optimi, qui praeclaris me huc vocalitis conditionibus, ut scilicet in disciplinis his pericolosis, inutilibus & incertis defudarem.

At non ita vos judicastis, Viri acutissimi! neque melius etiam & dignius auspicari me novum posse munus existimavi, quam si a contundenda hac arroganti atque absurdâ, verum auctoritate tamen doctorum quorundam & vulgi opinione firmata sententia principium sumerem. Omnium vero disciplinarum, quae conviciis istis petuntur, causam agere, neque tempus permittit, neque instituti ratio. De moralibus tantum doctrinis agam. Neque has etiam ab omnibus, quas recensui, injuriis vindicabo. Tritum illum atque communem locum de periculo, quod a naturalis juris studio civi-

tatibus immineat, non attingam: fecerunt hoc ante me multi & fecerunt praecclare. Nec profecto sophistarum quorundam insania rectius huic disciplinae vitio vertitur, quam si quis propter Astrologorum atque Alchymistaram, quos vocant, somnia praeclaras Astronomiae atque Chemiacae disciplinas contemnat. Qui supereft, locum occupabo, vacuum illum quidem, verum inter caeteros adeo gravem, ut graviorem plane nullum existimem. Dicam enim *de moralium disciplinarum dignitate ad caeteras disciplinas comparata*, & in hoc potissimum nunc versabitur oratio, ut certiorem atque firmiorem caeterarum doctrinarum veritatem non esse ostendam ea, quae in disciplinis moralibus lucet. Aliarum meritis nihil detraham, sed ejuscae turpiter ab inquis fororibus fororis causam agere & mea mihi pietas suasit, & vero jussit novi muneric ratio. Vos A. A. linguis auribusque favete.

In omni cauſarum patrocinio a constituenda lite principium sumendum esse, & usus voluit, & exigit rei natura. Eandem & nos viam sequamur, idque magis adeo in hac disputatione, ne ab ipso limine judicii nos repellant adversarii, qui sibi propriam quasi accuratam in disputando diligentiam volunt.

Non est igitur, A. A. O. O! eadem nostra cauſa, quam contra CARNEADEM apud Romanos CICERO, apud nostrates GROTIUS egerunt. Ipsam illi iustitiam defendenterunt, & non hominum arbitrio aut incerta quadam & vaga utilitate, verum ipsa natura iustum ab injusto secerni ostenderunt.

Nec

Nec abstrusam quoque nunc, quae scholarum est, agimus controversiam, utrum justum illud & bonum; in quibus moralis versari philosophia solet, sua tantum nec mutuata luce splendeant, an vero mentis nostrae legibus ita temperentur ac regantur, ut quae bona nobis & justa videri debeant, non quae bona & justa sint, affirmare queamus.

In eo tantum nunc versatur disputatio, utrum, quae bona dicimus & justa, sive menti nostrae sive rerum naturae originem debeant, certas adeo sequantur regulas, ut eorum quoque recte disciplina dici ac doctrina possit. — Agnoscunt enim illi, quos nunc volumus, agnoscunt aliud bonum, aliud malum, aliud justum, aliud injustum, aliud pulchrum, aliud sordidum, aliud civitatibus utile, aliud noxiun esse; sed doctrinam justi, sed doctrinam boni pulchrique aggrediuntur, sed in his positam diligentiam atque studium alto supercilie rident, quasi haec certa facere qui ratione postulent nihilo plus agant, quam si operam dent, ut cum ratione insaniant.

Habetis, quam objiciunt adversarii, accusationem, A. A.! nunc de illius caussâ & argumentis breviter vidcamus.

Quod in caeteris vitae quotidianae rebus sieri videmus, ut continuae sint fere mutationes, atque nunc haec, nunc iterum alia vivendi ratio magis placat; illud idem utrum in republica quoque literata valeat, quis in dubium vocet, qui ad doctrinarum historiam paullo tantum accuratius respexerit? — Auxilium alicujus artis vel doctrinae invocent tempora; sicut omnes eam colunt, sovent &

extollunt. Exoriatur aliquis, qui in hoc vel illo genere disciplinarum praecclare mercatur; statim omnes, quasi agmine facto, in eundem campum ruunt, ut ejusdem laudis fiant participes. Exemplo plerique reguntur. Egregium unum aut oratorem aut poetam aut philosophum nulla fere actas vidit. Eorum, quae praecclare fiunt, pretium adeo a temporibus pendet: nec si delicatores recte mulierculas comici rideant, quae nova quaeque ornamenta novasque vestes pristinis elegantiora & meliora nullis non argumentis praedicant, diversum prosectorum de literatorum plebe non potest esse judicium, quae perinde novam quamque studiorum rationem, nefcio quibus non titulis, proxime praecedenti praefferat.

Eadem nostrae quoque aetatis vicissitudines fuerunt. Eximios quorumdam de civitate constituenda ac regenda commentarios insignia provocaverant medio fere praecedentis saeculi vitia; statim omnes eandem occupare provinciam vidinius. Accedebant mox, quae haec alerent studia ac foverent, tempora, in mutandis corrigendis atque emendandis civitatum formis fertilissima, & vero sapere vix videbantur, qui de republica non scriberent.

Sed fervorem mox ipse fervor consumxit & ab emendanda, quin adeo curanda civitate satiatis atque fastidientibus animis, cum militibus atque mathematicis disciplinis magis, quae secuta sunt, tempora faverent, has colere, has laudibus efferre omnes cooperunt, ut neglecta nunc & contemta fere jaceant, quae modo omnium suffragia tulerunt.

Caus-

Causam opinionis, de qua diximus, indicavimus, argumenta nunc, quibus illa confirmetur, audiamus.

Aequitatem itaque & bonum justumque per se satis lucere, nec argumentando cognosci defendunt, & incultam laudant nostrarum civitatum plebem barbarasque gentes, quibus idem sit boni malique discrimen. Deinde vanam esse in his positam diligentiam arguunt, & historiam adeo atque communem vitam citant, quae testentur, quam parum utilitatis disquisitiones illac de principio ac finibus boni & justi, de jure gentium ac republica habuerint. Tandem vero, quod illis sumnum esse videtur, experientia sola homines doceri volunt, atque firmas eas tantum disciplinas dicunt, quae certum aliquod in sensibus externis fundamentum habeant, cum in caeteris, quae ratione tantum cognoscuntur, adeo sit ambigua veritas, ut ab utraque parte eadem fere cum specie disputetur: neque continuas hic omittunt philosophorum controversias, quibus probent vix in his veri aliquod sperari posse, quod non aliis argumentis evertatur.

Praeclara haec sere sapientia est, qua gloriolam sibi multi querunt. Talia sunt, quae juvenes recinunt dictata senesque. Illorum vim ac gravitatem explorare nostrum nunc erit.

Liberalitatis vero quale melius argumentum dare possimus, quam ubi a concedendo statim disputationis faciamus initium? Est ita, uti dicitis, lucet aequitas per se, ipsa dubitatio significationem habet injuriae & profecto melius humano generi rerum omnium pa-

rens

rens non prospexisset, si in singulis vitae negotiis argumentorum scie omnes indigeremus; nec tamen quid sibi hoc velit intelligo. Etiam naturae phaenomena videimus, audiimus, sentimus, percipimus omnes, neque novum quid ex disputationibus vestris existit. Sed physicum non esse respondetis aut astronomum, qui, neglectis, quibus illa phaenomena reguntur, legibus, vel graviora citius cadere corpora, vel solem lucere, vel astra noctu splendere dicat, sed doctrinam in hoc versari arguitis, ut eorum, quae videimus, caussae intelligentur & necessitudines, utque his intellectis de incognitis secundum cognita judicium seramus & contra provisa sic pericula opportunum quaerere praesidium valeamus. — Recte sane: num vero ex his aliquid in doctrinis moralibus secus est? mihi quidem non videtur. Venerentur bonum quoddam & acquum etiam barbare gentes & ineulti homines; at quarundam modo virtutum simulacra apud illos reperimus, quae in benevolentia aut fortitudine animi fundamentum habeant. Sciat usu & obscuro quodam sensu, quid in quotidiana vita vel faciendum sit vel omissendum, hominum vulgus, at incident saepe tempora, quibus quid bonum sit justumque non ita statim apparet, at obstant rationi non raro animi impetus & affectus, quibus sibi pro commodis suis singunt justum aliquod & bonum homines, at, perinde uti in phaenomenorum serie non singula singularibus regulis reguntur, ita nec singulis actionibus aut temporibus proprias atque separatas leges scripsit ratio. Unum est idemque, quod omnes vel bonas reddit vel pravas actiones, nec pro-

O R A T I O .

profecto unum hoc idemque adeo quis perspicuum dicat, ut de hoc dubitare nemo plane possit. Vana sunt, ad quae vulgus provocat, conscientiae & moralis nescio cuius sensus vocabula, ipsaque adeo, quas non satis prudenter objicitis, controversiae, hic etiam studio atque diligentiae multum reliquissimam naturam, satis superque demonstrare videntur. — De sapientia dixit SENECA, naturam nobis seminatam scientiae non ipsam scientiam dedisse; de bono justoque idem verum est. Sentimus aliquid nos habere divini, ingeniumque in nobis, sicut simulacrum aliquod dedicatum; verum in singulis vitae negotiis quid simulacrum hoc, quid ratio jubeat, certo desinere, hoc opus, hic labor est.

En igitur quid doctrinae nostrae sibi propositum habeant! en, quid illis sit cum vestris disciplinis commune! Ex hominis natura disputandi materiam nos arripimus & haurimus, quam ex mundo rerum externalium vos ducitis; a phaenomenis observandis utriusque sumimus initium; caussas ac principia, colligendo, comparando atque abstracthendo, quaerimus ambo, ut a cognitis ad incognita & obscura penetraremus; ac profecto caussas cognoscere eorum, quibus interna nostra natura censetur, nemo minoris dixerit momenti, quam eorum, quae ad externam modo vitam referuntur.

Sed habent tamen, quod hic respondeant adversarii, A. A.! & communis fere haec illorum vox est: vera sint, quae di:putasti, omnia, sed scholarum haec insructuosa est sapientia; ad ornandam, defendendam atque emendandam civilem vitam comparatae sunt disciplinae phy-

ficae atque mathematicae. — Tollatur astronomia, corruet navigatio
omnis & mercatura; negligatur hydrostatica, cito fluctuum praeda
erit, quae fluctibus non nisi arte crepta est, patria; arithmeticā
repudietur & matheſis, instrumentis suis omnes plane artes care-
bunt. Quid autem horum omnium in disciplinis moralibus? inclio-
resne homines ex subtilibus illis de principio ac finibus bo-
ni justique disputationibus existiterunt? justane tantum bella gesta
sunt, aut lege, non vi inter gentes agi coepit, postquam traditum
ubique & excultum fuit jus gentium? civitatumne denique veram
felicitatem, non externum splendorem, non suam modo gloriam re-
spexerunt, qui ex jure publico universali, quid officium exigat, di-
dicerint imperantes.

Speciem veri aliquam habent, fateor A. A.? quae sic objiciuntur; sed nos illa species non decipiat. Admiremur, quae non raro & in infima plebe & apud incultas gentes deprehendimus virtutis egregia documenta, sed universe incultis hominibus cultiores praestare, quis neget? Historiam diversarum aetatum consulamus (nec enim in historia hominis anni, verum aetates, verum seecula computari debent) historiam, dico, consulamus, medium aevum, quin iuso splendida ipsa antiquitatis tempora cum nostris temporibus comparemus, mo-
res & ingenia populorum in legibus antiquis aliisque monumentis quaeramus; & si generi humano, si hominibus universe non profu-
isse moralium disciplinarum studia agnoverimus, illam ipsam lucem meridianam splendere negabimus, & vero ipsa veritas nos convin-

ce-

cere non poterit. Vitiorum isti exempla nobis opponunt Ita est, vitiis erunt, donec homines, felicibus armorum successibus ebrios insolentesque victores & inflatas gentes omnis nobis exhibebit historia; sed frenum tamen aliquod injiciunt praecincta, & qui in ipsis adeo latrociniis justi speciem quaerunt invasores satis exemplo suo docent quantum sibi ab emendatis opinionibus metuant. Sed rogando nobis respondere liceat, quos rogando illi aggrediuntur. Cultores artium ac disciplinarum, quas laudant, non desuerunt; earum progressus efferunt quotidie ipsi; ergone pauciora fuerunt aut leviora, quibus corum disciplinae prospiciunt, incommoda? Ergone securi nunc sunt homines a periculis, quibus ante cultas has disciplinas erant expositi? Respiciant igitur patriam nostram, respiciant vi aquarum proxime practerlapsa hyeme inundatas undique regiones, respiciant omnibus bonis exutos agricolas, respiciant tot parentibus orbatos liberos, respiciant tot carissima pignora plorantes familias, & modestiam discant moniti, qui aliorum infructuosam dicunt diligentiam. Neque vero vi torrentis se defendant. Hoc enim ipsum est, quod volumus. Aestuantes illi fluctus nobis animi impetus atque affectus sunt. Aestivis tranquillisque temporibus & eorum aggeres sufficient & praecincta nostra, tempestatum omnem vim, neque illi neque haec sustinent semper, &, si inter bonos bene agier oporteat, age missam objectionem faciamus, cui in rerum humanarum omnium imperfecta conditione solum sed insirmum fundamentum est.

Videamus igitur nunc id, quod caput isti esse dicunt, minirum: incer-

tumne a deo & vagum illud sit, in quo nostra disputatio versatur, ut doctrinae dignitatem sibi vindicare morales disciplinae plane nequeant.

Controversias nobis objiciunt, quibus, & antiquitus & nostra aetate, philosophorum familiae discernuntur. Quaenam, inquit, aetas extitit, qua de vestris illis disciplinis disputatum non fuit? — Apud veteres, Academici, Peripatetici, Stoici in diversas abierunt sententias, ut internas jam illarum scholarum dissensiones atque minus celebres philosophos omittamus. Post renatas litteras GROTIUS, PUFFENDORFIUS, HUTSCHENSONUS, LEIBNITIUS, WOLFIUS, & vero nostra aetate KANTIUS, FICHTIUS aliique floruerunt; nec tamen de principiis illis & finibus boni justique & pulchri major nunc est consensus. Difficultates difficultatibus, dubitationes dubitationibus succederunt. Solis sibi veritatem innotuisse, omnes clamitant omnium familiarum sectatores, & quae applausu modo doctrinae simili indoctaque plebis excepta fuit doctrina, eandem mox ut absurdam vanamque sequens aetas ridet atque contemnit, ut in his, quod sibi constet, praeter puerilem satis philosophorum vanitatem, fere nihil inveniatur.

Favete linguis, vos qui sic disputatis. De doctrina loquimur non de moribus. Insolentem illam ac plebejam arrogantiam sophistarum, qui, se tantummodo sapere, sibi perfusum habent, quis defendat vel excusat? Ergo ullum vos ordinem noscitis, unde sibi personas quaerere nequeant comici? Ex formulis atque figuris mathe-

ma-

maticis qui vel omnem pulchri rationem, vel religionis adeo mysteria explicare voluerint, non defuerunt mathematici, nec de illis tamen nos loquimur.

Verum nec in ipsa re est, quod nos moveat. Ipsas dissensiones agnoscimus, sed propterca vagas adeo atque incertas disciplinas nostras esse, ut in his posita diligentia vana omnis atque inutilis sit, non videmus. Si enim certum vos dicitis, de quo nemo plane dubitet, incertum sane est, de quo diversae sunt sententiae; verum absurdam simul sic defenditis doctrinam, qui progressum nobis omnem praecluditis. Sin vero hoc vobis certum sit, quod ex firmis principiis, non ex vago hominum arbitrio pendeat, quid sibi velint, quae objicitis, non intelligo. Quis enim, quid in disciplinis verum atque certum sit, ex hominum imbecillitate, quis linguarum elegantiam ac rotunditatem ex balbutientium sermonibus aestimet? Ab opinionum fluctibus disciplinarum natura non penderet, nec profecto aut incertae sunt naturae leges, quibus coelestia corpora reguntur, aut incerta est astronomia, quamvis aliam PTOLEMAEUS, aliam COPERNICUS, aliam NEWTONUS, aliam alii viam secuti sint. — Deinde quales, quaeſo, illae sunt, quas dicitis, controversiae? Utrum circa praeccepta illae versantur & leges? utrum bonum aliis est, quod aliis malum dicitur? ne audacissimi quidem hoc affirmant. Si paucissima excipientur (& sane nullum doctrinarum genus est, in quo non aliqua sit dissensio), qua tandem in doctrina magis convenienter eruditi, quam in officiorum definitione philosophi, equidem plane

nescio. Agnoverunt hanc in praceptis constituendis concordiam semper omnes; agnoverunt nuper etiam; quae Harleini est, literatissimorum virorum societas, cum, in tanto de praceptis consensu, quae causa sit disensionum de principiis, quaesiverit. De causis igitur boni tantum dissentimus, quibus eadem fere est de bono sententia; quare faciendum hoc, fugiendum illud sit, disputamus, qui, quid fieri debeat & omitti, eadem fere ratione constituimus. Ipse igitur hic de praceptis consensus eorum, qui diversas caeterum partes sequuntur, ad sanam vos rationem reducat. Quid enim excogitari firmius, quid certius potest eo, quod scholiarum omnium subtilitatibus, quod saeculorum omnium dissensionibus everti ac labefactari non potuit? Testes improbare, quos adduxistis ipsis, non potestis; disputant inter se, satemur, qui morales disciplinas tradiderunt; verum ipsa dissensionum natura testatur, habere certum aliquod & stabile fundamentum nostras disciplinas, ex quo omnium haec aetatum atque scholarum convenientia explicari debeat, &, si huc usque illud inventum non esse, controversiae istae doccent, non terrent illae prosector diligentiam nostram, sed augent, sed accidunt, sed incitant; ut paucas etiam, quae superflunt, de praceptis dubitationes tollamus; a vero separemus, quae communi forte errore in doctrinam falsa irrepserint, & vero natum illius, quod adesse omnes percipiimus, quamvis cognitum nondum sit, tandem aliquando cognoscamus.

Verum fieri hoc posse isti negant, A. A.! verum deesse nobis vires disputant, quibus co ascendamus, ubi externis sensibus locus plane null-

nullus est, verum phaenomenorum hac serie cognitionem omnem humanam circumscribi clamitant. De hoc igitur, quid sit, nunc videamus.

Nec tamen; quamquam & hoc recte quidam responderunt, communne illud repetemus: non omnium disciplinarum, quae morales dicuntur, eandem naturam esse, & prudentiam sanc civilem, quam comed vulgo nomine comprehendunt plerique, argumentis his peccati non posse. Effugiendo adversarium fallere non decet. Philosophiam illi morum praecipue aggrediuntur, eandem & nos defendamus.

Sed ne in hac quidem disciplina verum videtur, quod ajunt, nullum plane hic experientiae usum esse. Undenam enim hic omnis disputacionis nostrae principium, nisi ab hominis natura? Ab hac omnes incipiimus & prosceto vani omnes de bono, justo pulchroque sermones sint, nisi hominibus aliquid bonum, justum & pulchrum esse constituerit. Deinde ipsa haec nostri temporis disceptatio, utrum notiones illas boni justique ex suis ipsa formis ratio constituat, an ex perfectionis aut ordinis aut felicitatis aut necessitudinis notionibus colligat, aut tandem extrinsecus divina voluntate constitutas accipiat, qua quaeſo ratione, nisi experientia quoque invocata teste, dirimatur? ut nunc eos taceamus, qui, uti ex felicitatis studio omnia derivant, ita ex sola fere experientia sapiunt, cum profecto felicitati quid humanae conducat, aliunde cognosci plane nequeat.

Verum proxima tamen doctrinarum nostrarum objecta non nisi argu-

gumentorum serie cognosci posse urgent. Ita est, A. A! virtutem hanc & justitiam videre, audire, tangere non possumus, dimensionibus atque computationibus illas frustra subjicimus. Experientia, quae nos fines atque principia doceat bonorum, nulla est. Ergo cedamus jam, profligata caussa, miseri philosophi; ergo humanitatem vestram & clementiam invocemus, victores! quorum formulis, quasi divinatoriis, omni plane spe dejecti sumus; at ex benevolentia particulam dignitatis aliquam nobis relinquite, qui integrum il- lam & salvam argumentis vindicare ac defendere non possumus.

Arridetis; miseret vos conditionis nostrac? At non opus est nobis arroganti ista vestra misericordia. Superest, quo stationem tueamur ipsi. Sensibus externis doctrinarum nostrarum veritates non percipi dicitis? faremur; sed agite, sensibus tantum illis, quid verum & certum sit, intelligi nondum docuistis. Huic igitur, antequam de victoria gloriemini, satisfacite officio; nec enim, donec praeter sensus illos nullam homini percipiendi facultatem esse demonstraveritis, aliquid haec argumenta vestra efficiunt. Tacetis? de responso cogitatice? Ergo pro vobis nos respondebimus; ergo, qui excipiendo defunxi possimus rei, actoris difficiliores partes sponte suscipiemus.

Ad sunt autem, ad sunt prosector in homine, praeter illa, quae sensus externos dicimus, alia quoque percipiendi instrumenta; nec sane illis tantum facultatibus, quae cum cacteris animalibus nobis communes sunt, quibusque adeo multa nos animalia superant, homo censetur, quem praeflare brutis omnes omnino aetates, omnes phi-

lo-

lophorum familiæ voluerunt. Sensus illos laudatis, verum ad corporis tantum perceptiones illi referuntur; ergo mentis ac rationis vim omnem vos tollitis? Sensibus singulas res observamus, verum earum seriem atque nexum, quibus experientia censetur, iisdem non percipimus; ergo vestram sibi ipsam repugnare rationem, ergo vestras vos ipsos disciplinas evertere non intelligitis, qui nexus demum hac cognitione doctrinam aestimari nobis ipsi modo respondistis? At qua tandem ratione illos nobis esse sensus cognoscimus? Experientiam dicitis & conscientiam nostri: ad eandem illam experientiam atque conscientiam nos quoque provocamus. Nec enim res tantum externas videmus, sed earum quoque consequentia cernimus, principia, caussas & progressus earum percipimus & a fortuitis necessaria, a singularibus universalia separamus. Undenam vero haec, nisi & mente quaedam percipiamus, omnia? Sin vero ex ipsis moralibus disciplinis exempla velitis, undenam quaeso communem illam boni pulchrique approbationem atque admirationem adeo explicemus, nisi, veluti corporis oculis colores discernimus, ita actionum quoque vel pravitatem vel honestatem mentis quasi oculis secernamus.

At vero quid ex nostris doctrinis arguimus, non solis sensibus verum atque certum agnisci? Ad suas ipsi disciplinas adversarii respiciant. Earum quamnam quaeso dicunt certissimam? Matthesin. Recte sane; quis enim in hac adeo certa omnia praedicari nescit, ut in proverbium fere mathematica veritas abierit? Unde-

nam vero certum hoc, quo certius plane nihil habetur? Utrum ab experientia forte & sensibus? Aequales omnes omnium circulorum radios utrum ex observatis demum atque comparatis, quae in tabula describantur, circulis cognoscimus? Nemo dixerit. Paucos tantum circulos recipit tabula, & quae de his forte valcent, in omnibus propterea necessaria non sunt. Verum ex quoniam igitur fonte certum hoc derivatur? Dicamne A. A.? Quoniam nullus plane hic sensibus atque experientiae locus est; quoniam non in figuris, quas cernimus, verum in carum notionibus exponendis disciplina versatur. Aequales sunt omnes circulorum radii, quia aequalitate demum hac circuli notio censetur. De omnibus illud circulis valet, quoniam sine hac aequalitate nullum plane circulum mente nostra agnoscimus. Notionum, non rerum imagines, istae lineae representant, nec in toto hoc rerum creatarum mundo aut punctum mathematicum, aut infinitam divisionem oculis cernimus. Verbo: mente hic peraguntur omnia; praeclari, qui vel oculis plane caruerint, non desuerunt mathematici; nec profecto superest aliquid, quo se tucantur, quo sibi constent isti, quam ut vel aliam nobis, praeter eam, quae sensibus percipitur, veritatem concedant, vel certius nihil illa mathematica sua veritate esse agnoscant atque fateantur.

Prius eligunt A. A.! nolunt scilicet suarum disciplinarum fundamenta evertere. Prudenter sane; verum sic & nos tandem eo pervenimus, ad quod omnis haec orationis pars tendebat; nec profecto

jam

jam aliquis est, qui vel propter illas, quas nobis objecerunt, controversias, vel propter diversos cognitionis fontes, disciplinas omnes morales vanas & inanes dicat.

Unum tamen adversariis superest etiam nunc refugium, & salutis quasi palladium, ad quod, caeteris jam relictis praesidiis, recurserunt; hoc etiam utrum expugnari possit, videamus.

Quale autem illud est, quod volunt? Nempe tritum illud puerorum, qui, cum aliena crepundia contempnere non audent, sua tamen multo esse pulchriora praedicant. Cum enim plane incertam esse nostram rationem docere non possint, suas tamen multo esse certiores disciplinas nunc defendunt. Quasi vero in his certum non sit, quod incertum dici nequeat, aut certo aliquid certius esse possit. Verum sit ita; risu sane digna est puerilis haec inter eruditos aemulatio ac superbia; sed ridiculo etiam certamini nos subtrahere nolumus, ut ne quid isti se habere putent, quo recte gloriantur; sed, quo nomine incertas non esse disciplinas nostras jam dicimus, eodem ne minorem quidem earum firmitatem esse, quam quae in caeteris cernitur, nunc defendimus.

Controversias nobis objecerunt. Ergo minores sorte aut leviores in disciplinis physicis, in chemia, medicina, vel astronomia adeo, lites atque sententiarum diversitates surserunt? Ergo adeo nos hebetes illi & in suarum doctrinarum historia hospites putant, ut ne nomina quidem, in chemia STAHLII atque LAVOISIERII, in medicina BOERHAVII atque BROWNII, in astronomia PTOLEMAEI atque COPERNICI

nobis nota sint? Ergo ad certas ibi leges primaque principia ita omnia reducta sunt, ut incerti atque indesiniti non multum superfit, & de magis universalibus principiis inveniendis nulli plane cogitent? — Sed in mathesi tamen, quales tandem dissensiones intelligamus, rogant, et doctrinac incrementa praedicant, quae nos controversias dicimus. — Fatemur, in *pura*, quam vocant, mathesi locus esse dissensionibus vix potest. Quis autem matheseos fructus est, nisi ad res & negotia vitae communis applicetur? Etiam de virtutis & perfectae civitatis *idea*, quam philosophi, PLATONIS exemplo, dicunt, litteres sere nullae sunt. In quotidiana vita vagam esse nostram doctrinam reprehendunt, applicatae demum matheseos exemplum nobis juste opponunt. De hac vero & disputari posse & revera disputatum esse, quid exempliis affirmare necesse est? Recentes sunt de optimis contravim aquarum praefidiis vel doctorum virorum controversiae. Non pauca sunt, quae, cum omnibus numeris absoluta videantur in tabulis, usui tamen non sufficient instrumenta; & profecto ipsis adeo adversarii affirmare non audent, minori opus esse prudentia, si ex lineis illis atque computationibus quid ad artes transferatur, quam si de nostris in civilem vitam transcendentis praeceptis agatur. — Quae vero incrementa vocant disceptationes suas, age, sunto ejusmodi; nec enim in verbis difficiles sumus. Quidni autem in nostris etiam disciplinis idem responderi possit? nempe de ipsis illis incrementis apud nos disputari respondent, cum apud se, qui aut STAHLII partes post LA-VOISIERIUM, aut pristinam de motu corporum coelestium doctrinam,

post

post COPERNICUM, KEPLERUM & NEWTONUM sequantur, nulli sint. In omnibus igitur disciplinis, quarum vos patrocinium suscipitis, viri acutissimi! num idem verum est? At de BROWNIANIS tamen istis in medicina incrementis eadem non est omnium sententia; quin antiquam in Astronomia rationem defendisse D'AGUILAM nostra nos aetate vidi-
mus. Sed his caussam vindicare nolumus. Verum sit, quod dici-
tis; firmiores hinc vestras disciplinas esse non video, nisi simul adeo
esse certa nova hacc incrementa demonstraveritis, ut certiora dete-
gere nunquam alii possint. Hoc autem cum demonstrare nequea-
tis, ideoque apud vos etiam opinionum illa atque controversiarum
serie, non adeo quid verum, quam quid falsum sit, cognoscatur;
agite in eundem dignitatis gradum nobiscum descendite; nam &
nos virium nostrarum modum, atque multarum sententiarum vanita-
tem hisce vicissitudinibus detexisse nemo negaverit. — Erroribus
detegendis sapimus omnes &, si pristinos errores forte novi sequan-
tur, si in alias scopulos, aliis evitandis, incidamus, non rideamus nos
invicem, verum sustineamus. Quo plures invenerimus scopulos, eo
melius mare, quod navigamus omnes, cognoscimus, coque major spes
est, fore, ut, quam nos frustra quaesivimus ad veritatem viam, tan-
dem aliquando, nostris edocta naufragiis, felicior inveniat posteritas.

At vero falsum hoc & verum se facilius atque certius discernere
urgent. Etiam ultimum hoc quale sit attendamus.

Firmorem suarum cognitionum naturam esse volunt. Igitur plu-
res illis aut meliores cognitionum fontes & quasi testes veritatis esse

debent, quam quidem nos habemus; verum hoc equidem non video. Cognoscendi instrumenta laudant sensus, rationem, experimenta. Sensibus primum res esse atque diversas perceptiones excitari, quibus diversitas rerum aestimatur, agnoscant. Ratione, quae sensibus cognoverint, componunt, comparant & ad generalia referunt praecepta, quae singularibus abstrahendis constituuntur. Experimentis vero, utrum in communi quoque vita usui esse possint sua praecepta, quae ratione constituta sint, efficiunt. Pracclare sane & prudenter. Ex omnibus autem his quid tandem, quaeso, moralibus disciplinis dèbet? Sensibus externis rerum diversitates illi percipiunt; interno quodam sensu ad aliarum actionum comprobationem, ad aliarum reprehensionem, homines duci, nos supra docuimus. Ratione singularibus rebus generalem legem illi constituunt; ratione, quid tandem illud sit, quod in singulis vel reprehendimus vel laudamus actionibus, constituere nos conamur. Experimentis decreta rationis de uno cum sensibus, a quibus incepunt, illi conferunt; eadem experimenta nos instituimus, ubi rationis illa in generali quodam principio constituendo conamina cum primis illis atque spontaneis de bono justoque judiciis comparamus: nec sane adeo istos in nostris disciplinis hospites putamus, ut nesciant, propterea tantum multas exemplas fuisse atque proscriptas sententias, quod obscuris illis notionibus & quasi ideæ cuidam virtutis vel justitiae satis convenire vise non fuerint.

Sensibus itaque sensus, rationem rationi, experimenta experimentis
op-

opposuimus, nec profecto superest aliquid, nisi graviores esse testes dicant, qui majori numero nequeunt gloriari.

Sed rationis in utroque disciplinarum genere eadem plane partes sunt, sed in experimentis quoque eandem utriusque viam sequimur, eo redeentes, a quo singulis sicut principium. Ubinam igitur hos eorum testes meliores inveniamus, qui neque fallant unquam neque corrumpantur? Nempe internum illum, quem diximus, sensum aliquando sic falli dicunt, ut cum externis ille sensibus comparari plane nequeat. O miram hominum acutissimorum contumaciam & vero voluntariam quasi coecitatem! Perceptiones internas, quas in omnibus hominibus, vel minime excultis, actionum cum lege quadam honesti & justi convenientia excitat, testes admittere nolitis, nec tamen idem plane vestris objici testibus vitium posse videtis, quo nostros aggredimini? Ergo aliunde vos, quam ex perceptionum diversitate rerum differentias cognoscitis? Ergone sensuum sibi semper constant testimonia, neque corporis morbo saepe hi corrumpuntur, uti affectibus, quibus fere animus aegrotat, illius non raro corrumpi judicia concedimus? Ergo nulli sunt, de quibus physici loquuntur, lusus optici; nec ad sensus maxime & oculorum testimonia provocarunt, qui COPERNICI novam doctrinam impugnarunt? Ergo vestrum denique multi difficillimam observandi artem non dixerunt, & vel ipsi nos nuper de BOYLIANO experimento gravissimum virorum dissensiones non audivimus?

Dicamus tandem, uti res est; si primis tantum illis perceptio-

nibus saperent homines, sane vix esset, quod se scire & cognoscere recte gloriarentur. — Falli saepe sensum illum moralem, quem in homine deprehendimus quotidie, damus, sed neque huic soli doctrinam boni vel iusti nunc superfruit quisquam, neque certius physicarum doctrinarum fundamentum in externis esse sensibus potest. Comparando demum, abstrahendo atque componendo cognoscimus utriusque; &, si tunc demum certo se aliquid scire illi jure suo dicant, cum, quae sensibus percipiuntur, postquam ea rationis ope ad generalem legem reducta sunt, denuo sensuum perceptionibus, in singularibus, quae hac lege regantur, phaenomenis respondeant; ejusdem laudis etiam nos tandem participes esse finant, qui perinde ex singularibus illis honesti iustique perceptionibus generales leges constituimus, sensumque illum ratione, & rationis praecelta sensu illo corrigimus, ut tunc demum doctrinam sibi constare dicamus, si, quae cuncti sponte probant, ea ad generalem reduci legem queant, & quas generales leges ratio constituit, in singularibus omnibus caussis sponte omnibus probentur.

Quid autem, haec si vera sint A. A.! quid tandem superest, quo ulterius disciplinarum moralium dignitatem vindicemus? De omnibus, quae quidem nobis innotuerunt, adversariorum argumentis disputatum est. Nempe ulterius etiam progrediendum est, ut quam propositis argumentis frustra defendi sententiam docuimus, eam sine repugnantia vix cogitari posse nunc videamus, cum profecto vel incerta, vel reliquis etiam disciplinis incertior esse ea disciplina nequeat,

cui

eui omnium fere maximam firmitatem tribui & conscientia jubet, & humanae naturae postulat praestantia.

Nec sane ea maxima hominis excellentia est, quamvis & hoc sit eximum, quod aut formae elegantia, aut cogitandi comparandique facultate, aut solertiae acumine caeteris animalibus antecellat: cum ad externam fere vitam dotes illae referantur.

Majus est & vero longe maximum supremac naturae beneficium ratio illa & moralis quasi natura, qua bonum justumque non tantum agnoscimus, verum ad bonum quoque & justum obligamur; quam in se non tantum boni omnes, sed vel pessimi quique venerantur; qua non tantum externi hujus mundi, verum & mundi quasi coelestis cives sumus, qua denique non tantum brutis omnibus praestantiores, verum divinitati quasi affines reddimur.

Sed praeclaram hanc nostrae naturae conditionem, quam omnes plane omnium aetatum philosophi laudibus extulerunt; sed hanc excellentiorem civitatem, quam non spatio vel tempore definitam, non animalibus omnibus communem, sed aeternam sed homini propriam dicimus, qualem quaeso animo nobis & cogitatione informemus, nisi certissima simul moralium disciplinarum fundamenta esse agnoscamus.

Quid enim? Duplex homini persona foret, & tamen unius tantum personae necessitatibus natura prospexisset? Quid? non hominis illa vita foret, quam vel plantis vel animalibus natura de-

D

dit,

dit, & tamen in omnibus, quae ad vitam moralem & vero vere humanam referantur, certum nihil atque firmum haberemus? Quid? non hujus tantum mundi finibus hominis excellentia circumscriberetur, & tamen, ad externarum modo rerum cognitionem instructi, alterum illum & vero longe praestantiorum vitae scopum neque attingere neque cognoscere adeo possemus; verum, ad virtutem & justitiam nati, virtutis illius & justitiae summas leges frustra semper quaeremus? — Repugnantius nihil dici vel cogitari posse intelligitis, Auditores! ut adeo, si, humano generi rationem, quae ad bonum nos justumque ducat, denegare, absurdum summo jure dicatur, agnitione rationi evidentiam & vero omnium maximam firmitatem non tribuere, improbum plane, ac tam nobis quam supremae rationi injuriosum sit.

Habetis. A. A. O. O.! quae, de moralium disciplinarum dignitate ad caeteras disciplinas comparata, mihi contra multorum reprehensiones dicenda videbantur. Inter omnia autem, quae de hac **gravissima** dicentem oratorem sustinuerunt, mihi deficiente animum addiderunt, nihil certo fuit, quo magis ad hanc fuscipendam caussam permotus sum, quam vestra quidem, Viri gravissimi, Regiae hujus Universitatis Curatores! auctoritas, ut sane, perorata jam caussa, sponte ad vos recurrat oratio, qui, praeclaris conditionibus hanc mihi stationem offerendo, si forte justo melius de me meisque studiis, at, ex rei tamen veritate, de excellentia ac dignitate disciplinarum, quas mihi commisistis tradendas, judicastis. Unum hominem,

ut-

mut praestantissimum atque doctissimum, in praesenti jurisprudetiae atque disciplinarum politicarum conditione, omnibus harum disciplinarum partibus, sufficere non posse, jam pridem, revocato PESTELIO censuistis; ac profecto, praeter philosophicam de universo jure naturali disputationem, adeo multae nostris his diebus extiterunt disciplinae, aut non cognitae antea aut separatim non traditae, minimum juris publici, quod cum a natura, tum a legibus cujusque civitatis descendit; juris gentium, necessarii quoque & voluntarii, quod ex gentium inter se necessitudinibus ac foederibus oritur; rei diplomaticae, quae quasi practica juris gentium pars est, ac statistices, quae in aestimandis atque comparandis civitatum viribus tam internis quam externis versatur, ne de subsidiariis disciplinis, de genealogia, de chronologia ac universa plane historia dicamus; ut si quidem illae in Academiis tradendae sint, has omnes qui conjungat & vero conjugere possit, fere nullus inveniatur. Quodcunque igitur dilectissimum studiorum caussa dixi, illud non mihi tantum meisque illis studiis, sed & vobis maxime, harum disciplinarum vindices gravissimi! deberi censui. — Verum de me quoque pauca dicere & locus iubet & dicendi opportunitas. — Conditionem hanc me nunquam ambiisse notum est: & sane erant Amstelae dami multa, quae uti semper mihi gratam illam stationem reddiderunt, ita nunc etiam animum nescio quo desiderio percellunt. — Urbem reliqui, suavissimis infantiae ac juventutis recordationibus caram. — Amicis valedixi integerrimis ac multorum annorum usu cognitis. — Cog-

natos atque affines desidero mihi junctissimos. — Laboris atque dignitatis socium amisi illum, quem ego, uti juvenis, non praceptorum, sed patrem habui, ita vir, non collegam, sed fratrem expertus sum. — At viciſtis tamen vos, Viri optimi! neque id p̄aeclaris, quas mihi obtulistiſ, conditionibus, nam & nunc eo nomine utra statio utri debeat p̄aferri nescio; verum benevolentia vestrā viciſtis & amica hac perseverantia, cui non respondere impium videbatur. Nec tamen deest, quod vobis debeam. Studiis me meis plane reddidiſtis, ut his ſolis vitam dare mihi liceat; honoris eo loco me posuistiſ, ut magis honorificus plane nullus fit; incertisque tandem rerum civilium viciſſitudinibus ita me eripuitiſ, ut quaſi in portum veniffe videar. Oblatum itaque munus non aggredior tantum, verum lubens ac pro tantis beneficiis gratus aggredior. Universitati huic vestrā, & vero nunc m̄eae quoque, totum me trado. PESTELIO me ſuccesſorem dediſtis; illius me exemplum incitabit, ut, quam ab eo, non tantum disciplinae, de quibus dixi, verum & haec Universitas & Patria conſecutae ſunt gloriam, non dicam ampliſicem aut ſuſtineam, ſed pro virili vindicem ac defendam. Qua quidem in re ſi mei vani penitus conatus non fuerint, tunc demum jure meo me petiuiſſe credam, ut eadem porro me benevolentia proſequamini, quam in hac offerenda conditione expertus sum.

Florem vero ac gloriam hujus Universitatis qui quaefo memo-
rem, ut non ſponte & mei & omnium oculi ad vos ſe convertant,
Viri Clarissimi! quarumvis disciplinarum in hac Academia Profes-

fo-

fores doctissimi! igitur Vos quoque meam nunc orationem com-
pellare ne dignemini. Inter plures, quae meum huc veniendi
consilium firmarunt, etiam pristinas cum nonnullis Vestrum neces-
situdines fuisse, palam profiteor. Grata movit me benevolentiae
recordatio, qua discipulum quondam suum, elegantissimus WY-
TENBACHIUS prosecutus fuit. Maximam, dilectissime SIEGEN-
BEEKI! apud me vim habuit arctum illud amicitiae vinculum,
quod a prima inde juventute nos conjunxit. Fratres nos, nisi na-
tura at animorum affinitas constituit; fratrem me fraterno te amo-
re excepturum esse, non sperabam, sed confidebam; ut affines om-
nes mihi amittere non viderer, qui te hic haberem. Sed quid sim-
gulares ego necessitudines narro, qui ab omnibus vobis, Viri clari-
ssimi! ita exceptus sum, ut a familiaribus familiaris comiter ma-
gis ac benebole excipi non potuerit. Humanitatis illius ac bene-
volentiae quantum sit pretium, probe sentio. Absentis admirationem
saepe moverunt absentium vestrum eruditio & elegantia, praesentis
acumulationem praesentium usus atque consuetudo excitabunt. His ut
me dignum reddam, omnibus viribus nitar; & profecto gratius mi-
hi ac jucundius nihil esse poterit, quam si, quem collegae collegant
humane receperistis, eundem amici amicum benigne omnes assumatis.

Nec tamen, quod mihi cum nonnullis Vestrum arctius munera
vinculum est, hic silentio praeterire aut volo aut possum. Quem-
vero hic prius compellem, quam te, HAGEMANNE! vir eruditissime!
cui mecum Philosophicae atque politicae Juris prudentiae partes

commissae sunt. Doctrina tua & in omni historia eruditio ut cognita est, ita te potissimum studiorum quasi socium me invenisse gaudeo. Indivisam nobis provinciam hujus Academiae moderatores dederint, ut amicitiae atque concordiae locus foret. Inanem illos spem non concepisse, eventus docebit, nam & eximiam tuam humanitatem laudant omnes, & tibi ego animum offero ab omni discordia & invidis eruditorum altercationibus alienum. Itaque conjunctis viribus eo tendamus, quo singulis in praesenti doctrinarum conditione pervenire vix datum est Quod in me est, certe non committam, ut te unquam tuae erga me benevolentiae poeniteat.

Sed neque vos hic mihi praetermittendi estis viri doctissimi, KLEESELI
atque SMALLENBURGI! — Studiis me meis redditum esse gaudeo,
Juris Civilis tradendi officium huc usque mei muneris partem suis-
se, semper gratus recordabor. Sordere sine philosophia jus civile,
vos mihi conceditis; quantum luminis atque splendoris ab accura-
tiori Juris Romani studio jus naturae accipiat, expertus vidi. Ve-
ram atque cruditatem sine Romano jure nullam unquam esse jurispru-
dentiam posse, certo certius mihi persuasum est. Unicum hoc atque
arctissimum, quo cum litteris elegantioribus nostrae disciplinae jungun-
tur, vinculum ut novitatum nulla cupidine unquam disrumpatur, ar-
dentissime opto. Vires itaque jungamus, laboris atque votorum socii.
Jurisprudentiae incrementa curamus omnes, nec de his incrementis
est quod desperemus, si non invidas atque altercantes, sed concor-

des

des & amicas sorores esse philosophicas atque historicas juris disciplinas, exemplo nostro probaverimus.

Atque hic quidem, novo jam professori mihi compellandi forent illi, a quibus instituendis summam mihi voluptatem & spero, & promitto; sed quid hoc loco discipulos ego cogitem praceptor, quin simul, quantum ipse discipulus illis debeam, qui studiorum mihi duces fuerunt, grato animo recorder? Ignoscatis itaque A. A., quaeso, si, quod consuetudini non convenire equidem bene scio, illud tamen pietati dandum, temere censuerim. — Quomodo enim hic praefentes vos viderem, diuumviri carissimi, CRASSE atque BOSSCHI! neque vobis quantum debeam, non vestra quidem, sed mea causa memorem. — Accipe igitur, accipe denuo, dilectissime CRASSE! integerissimas, quas tibi pro omnibus, quibus me semper cumulasti, beneficiis folvo gratias. Tuum enim hoc totum est, quod hoc loco, quod PESTELII cathedra indignus visus non fuerim. Praeceptor tibi juvenis palam valedixi, vir collegam te in publico salutavi, absens ut absenti mox amicitiam conserves, coram omnibus precor. — Neque vero tibi minus hoc dictum volo, optime BOSSCHI! Inter Curatores, qui honoris hoc loco me posuerunt, te nominatim non compellavi, cum ab omnibus deliberationibus tete, avunculum, abstinuisse, quoties de me, nepote, vocando ageretur, neverint omnes; amicum tamen & studiorum ducenti silentio praetereire non possim: nam & is tu mihi semper fuisti, a cuius sermonibus numquam nisi melior & doctior recessi, & a te maxime ardentissimum illum erga Grae-

cas & latinas litteras amorem concepi, qui mihi inter summas vitae voluptates est. Consuetudinem tuam non nisi cum desiderio summo reliqui, amissae consuetudinis solatium absentis amorem fore etiam atque etiam spero.

Nunc vero, qui discipulus ipse pietati satisfeci, ad vos me converto, optimi atque lectissimi juvenes! quibus non civibus tantum, verum & ornamenti jure haec gloriatur universitas. — Disciplinarum, quas tradendas nunc fuscipio, praestantiam & summam, non tantum in juris studio, verum in omni vitae genere, utilitatem laudare neque meus fert animus, nec profecto id ea in Universitate necesse est, quae docentem **PESTELIUM** audivit. Eandem, quam nunc fuscipio, provinciam Harderovici per septennium summa cum voluptate sustinui; eandem, nisi maiorem quoque, hic voluptatem fore, non spero, sed diligentia vestra atque morum honestate, quibus jure gloriamini, fretus confido. Doctrinas mihi commissas ita vobis tradam, ut, qui nulli plane philosophorum familiae me adscriptum volo. Horatiani praecepti memor neque in ullius magistri verba ipse juro, neque ut a discipulis juretur, exigo. Qualis nostrarum disciplinarum conditio & antiquitus fuerit & vero nunc etiam sit, quantum potero, exponam. Quid ex his verum vobis videatur, statuetis ipsi, nec enim in philosophia auctoritatibus sed rationibus standum esse puto. De reliquo novum vos studiorum ducem atque socium accipite, cui discipulorum commodis ac honestis omnibus

bus

bus desideriis nihil carius esse, illi inter vos testentur, qui me
praeceptorem jam experti sunt.

Quod supereft Deum O. M. precor, ut & vobis, juvenes ornatissi-
mi! & vero nobis quoque eam tandem rerum conditionem restituar
quae, pacatis Europae gentibus, pristinam literis omnibus digni-
tatem, pristinam patriae nostrae fortunam reddat.



Digitized by Google

Digitized by Google